INCIPIT LIBER.

Post mortem Catiline, Cęsar. . . . . Metellus Celer, Cicero et Macrinus . . . . Romam luctuosis victoriis . . . . Florinus remansit cum suis. Fesulani mali quod Florinus fecerat eis, venerunt ad cast . . . . . quem cum uxore et filiis interfecerunt. . . . . fuisset relatum, hii duces reversi sunt ad . . . . Cesar, Reinaldus comes, Cicero . . . . Albinus, Gneus Camertes qui . . . . prope Camertem. Cęsar super montem . . . . . . civitati. Rainaldus ab alia parte. . . . . . . Cicero Tibertinus Albinus Gneus . . . . . . ordinem paraverunt. Hiis obsidentibus ci . . . . . . bellum difficillimum agitatum est. Romani . . . . . . laborantes, fere omnes reversi sunt Rom. . . . . Cęsar remansit cum suis in obsidione, precepitque suis ut eant in villa Camarcia prope flumen Sarni, ibique hedificent parlatorium. Post duos annos fesulana civitate a Cesare destructa, venit idem ad predictum flumen ubi Florinus fuerat interfectus, ibique hedificavit civitatem. Cesar vero, hedificata civitate, volebat eam appellare Cesaream: senatoribus non permettentibus, Cesar dedit decretum, ut quicumque in laboribus superaret, suo nomine civitatem vocaret. . . . . Macrinus, Albinus, Gneus, Marcius venerunt ad civitatem quam Cesar hedificabat: et invidentes Cęsari, partiti sunt. Albinus . . . . ad faciendum pavimentum civitatis: Macrinus duxit aquam cum cocleis, et arcoribus per septem miliaria, de qua civitas lavabatur. Gneus fecit muros civitatis ex coctis lateribus, super quos aptavit turres mire pulchritudinis, viginti cubitorum inter utrumque spatio relicto. Martius aedificavit palatium magnum in quo aqua arcu cum caveis, fogneis redundabat, et civitas per unamquamque festivitatem ad vomitum earum lavabatur. Et quia unus alium non poterat superare in hędificando; alii appellabant eam Cesaream, alii Florinam, eo quod in floribus erat hedificata, vel quia Florinus ibi interfectus fuerat: maiori tamen parte consentiente appellaverunt eam Florinam, et ex nimio usu Florentiam, eo quod hedificata fuit in floribus, vel quia ibi Florinus interfectus fuerat; dominante tamen Cesare, parvo tempore ante quam Christus nasceretur: quod probatur per magnificentissimum Ottavianum Cesarem successorem suum, a quo, tempore Christi, ut discriberetur universus orbis, exivit edictum. Item est et alia interpretatione dicta Florentia, quasi florensia, idest in ense florens: vel quia ab excellentioribus urbis fuit hedificata, ne refici posset tempore pro-